

demum longa discussione præcedente concordiam supradictam acceptaverunt, decreveruntque legitimos communitatis, & omnium particularium, & singulorum capitum familiae procuratores, videlicet nobilem Jordanum Columbum, Henricum Bumam, & Mathæum Jocham de dicto loco ad contrahendum, concordandum, componendum, acceptandum, & obligandum in communi, & particulari communitatis, particulariumque singulorum bono pro observatione prædictorum prout, & sicut in instrumento eorum allegato diffusius apparet, ad quod ecc. Quapropter supradicti spectabilis Jordanus Columbus, Henricus Buma, & Mathæus Jocha procuratores antedicti genibus flexis coram Rev. D. D. Episcopo in ejus camera residentiae nomine dictae communitatis, & singulorum hominum ejusdem ecc. suppliciter, & absolutionem a præmissis excommunicationibus occasione præmissa petierunt, & obtulerunt sese paratos concordare ut supra dictum est cum mensa Episcopali, & pro tempore observare ecc. Qui Reverend. Dominus Episcopus ipsos, & eorum quemlibet ad effectum præmissum genibus flexis benigne recepit, & mandavit coram eo procuratorem mensae Episcopalis, & capitulum Ecclesiae Cathedralis, singulosque eorum personaliter, vel domi citari ecc. Postea vero Bastianus Siverna nuntius dictae mensae retulit omnes de capitulo citasse una cum procuratore, videlicet Domino Morgante de Franchis ecc. die XXVII. mensis decembris supradicti nobiles Jordanes Columbus, Henricus Buma, & Matheus Jocha procuratores antedicti in termino citationis tactae, & relatæ nomine dictae communitatis loci Rochettæ Palasæ, omniumque, & singulorum capitum familiae ecc. personaliter comparuerunt coram prædicto Rev. D. Episcopo in ejus camera residentiae, ac etiam præsentibus RR. DD. Canonicis ecc. & exposuerunt sese nomine quo supra absolutionem in primis petere, & postmodum sese pro executione concordiae præmissae paratos esse supplicantes ecc. Qui Rev. Dominus in primis, & ante omnia causas præmissas seriatim recitavit, deinde annuentibus omnibus Rev. D. D. Canonicis ipsos procuratores supradictos, & alios omnes, & quoscumque homines, & feminas dicti loci, ac etiam mortuos pro retentione decimarum, ac primitiarum nominatum, vel generaliter excommunicatos, excepto dumtaxat Augustino Jocha de eodem loco, qui ut asseritur alias decimas solvisse professus est, & modo Diabolico ductus spiritu repugnat sub vinculis excommunicationis retento ecc. alios homines ut supra tam a lege, quam Canonicis constitutionibus, vel sinodalibus, vel ab homine illaqueatos per manus impositionem in forma Ecclesiae solite, & consueta absolvit, & liberavit, & eos, & eorum quemlibet absolutos haberi voluit, & mandavit injuncta eis salutari penitentia, ut singuli coronam Virginis Mariae humiliter, & devote infra octo dies habeant ter recitare, & pro modo culpæ in totum scutum unum monialibus sanctae Mariae civitatis Aquensis pro elemosina condonent ecc. Postmodum supradicti procuratores gratias in primis agentes ecc. sponte ecc. nomine quo supra ecc. non vi dolo, aliave sinistra machinatione circumventi ecc. sed omni meliori

modo promiserunt, & convenerunt in futurum successuris perpetuis futuris temporibus pro decimis, & primitiis dare, & mensurare effectualiter. Rev. D. D. Episcopo Aquensi, suisque successoribus in Episcopatu, & mensae Episcopali in perpetuum, & in omne ævum singulis annis in die XV. augusti inchoando in mense augusti proxime futuri de anno MDLXIII., & nunquam finiendis saccos duos frumenti boni, & mercantilis ad mensuram loci Rochettæ Palasæ sumptibus dictae communitatis in civitate Aquarum conducendos in palatio Episcopali ecc. petentes prædicti procuratores de omnibus expensis, damnis, & interesse, hucusque mensae Episcopali præjudicium inferentibus remissionem fieri ecc. promittentes, & obligantes pro observatione præmissorum omnia dictae communitatis, & singulorum bona ecc., & quod mensa Episcopalis pro dictis decimis, & primitiis in futurum communitati ab omnibus Particularibus dicti loci exigendis brachium Episcopalis auctoritatis robur partiat, quoties a communitate, vel ejus agentibus fuerit requisitum ecc. reservato etiam jure directo decimarum, & primitiarum mensae Episcopali moderno Reverendissimo Domino Episcopo, & ejus successoribus ecc. & casu quo dicta communitas, vel ejus pro tempore Agentes ullo unquam tempore a præmissa præstatione sacchorum duorum frumenti modo quo supra cessaverint, reincidant in censuras, & poenam scutorum quinquaginta mensae Episcopali applicandam ecc. toties quoties ecc. qui Reverendissimus Dominus Episcopus Aquensis una cum RR. DD. Canonicis infrascriptis universum capitulum repræsentantibus, & venerabili Domino Morgante de Franchis de Costacariis procuratore mensae Episcopalis volens uti patrem decet filios sponte redeuntes, & poenitentes pie, & benigne suscipere, & amplexari prævia acceptatione reservatione, obligationumque præmissarum solemnii stipulatione ecc. prædictos procuratores nomine quo supra acceptantes ecc. de hucusque decursis damnis, expensis, & interesse in totum quittavit, sinemque, & quittance fecit generalem, & generalissimam de omnibus ad mensam Episcopalem spectantibus, hucusque, & pertinentibus ecc. & obtulit se, & pro eo ministros, & successores pro tempore ecc. daturos vim, & auctoritatem mensae Episcopalis ad omnem justam requisitionem, & in favore dictae communitatis pro decimis, & primitiis exigendis ecc. ad effectum præmissum ecc. & præmissa omnia, & singula tam RR. D. Episcopus, ejusque procurator, quam etiam procuratores prædicti nomine quo supra asseruerunt fuisse, & esse vera, & ea attendere, & observare, & non contrahere ecc. sub poenis antedictis ecc. obligantes omnia bona dictae communitatis, & singulorum generaliter ecc. quibus omnibus ecc. RR. DD. Canonici prædicti una cum prædicto Rev. D. Episcopo consenserunt ecc. auctoritatem, & decretum ecc. obligantes rursus, & jurantes videlicet procuratores mensae Episcopalis more sacerdotali ecc. ipsi vero procuratores manibus corporaliter tactis scripturis rogantes instrumentum dictamine sapientis extendendum non mutata substantia, & volentes de præmissis rogari in solidum nobilem Botarellum, & Henricum